

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Loci theologici

Hafenreffer, Matthias

Wittebergae, 1622

Pio et candido lectori, [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-122765](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122765)

PIO ET CANDI- DO LECTORI, PER Dominum Jesum Chri- stum,

Auctor Salutem.

QUA occasione, quoque Consi-
lio, ac Fine ad colligendum hoc
præfens Locorum & Theologico-
rum Enchiridion, ante Triennium Animum
meum adjecerim, ex Epistola Dedicatoria,
quæ Præfationis loco præmissa est, satis ut ar-
bitror, Candide & Benigne Lector, es asse-
quutus.

Inde pater: Primùm Libelli usum Illu-
strissimo meo & Celsissimo Principi ac Domi-
no, Domino JOANNI FRIDERICO,
Duci VVirtembergico, &c. Domino meo
Clementissimo, in eum finem, qui ibi expli-
catus legitur, destinatum fuisse, ut nimirum
Celsitudo ipsius de præcipuis Christianæ Re-
ligionis Capitis, Nobilissimorum Scriptu-
ræ Testimoniorum, quæ uno contuitu, qua-
si in Tabula contemplari; & quotidie aliqua
repetere posset, in promptu haberet Catalo-
gum. Qui sanè fructus, per Omnipotentis
Gratiam, plurimus hucusque & uberrimus ab-
undavit.

Verùm cum Juris publici factus esset Li-
bel-

LECTOREM.

bellus præter expectationem ab aliis quoque benevole est susceptus; adeo ut non tantum hic, in Gruppenbachiana, sed in alijs etiam Officinis, varietatis formis, fuerit recens: Quam ob causam, ut dictos Locos recognoscere, & sicubi Necessitas requireret, atque in prima editione studiosè attentata Brevitas, dilucidior & ampliorem Explicationem suaderet, plusculis verbis exprimere & declarare, ne dedignarer, viri, Pietatis Doctrina, & Zelo ardentis, à me postularunt. Quibus annuens ego, in Recognitionis Curas ingressus quidem: sed antea, quam cœptos Labores absolvissem, diuturna & periculosa Febri, quæ supremam præsentis ævi diem mihi clausura videbatur, correptus, à promissis præstandis, factis longo intervallo retractus sum. Posteaquam verò, paterna Dei benignitate & clementia, firmiori valitudini sum restitutus, debita Grati tudinis Loco, quod cepissem, primum omni um absolvendum putavi.

Quod igitur Ethnici, veritatem in injustitia detinentes, factitarunt: ut cum vel adversis premerentur, Diis suis fictitijs, supplicationibus factis, vota nuncuparent, vel ipsi dem liberati, solennes gratiarum actus instituerent: id quod vel ex Virgiliana ad Æneam exhortatione manifestum esse potest:

Junoni magne, primum prece,

Numen adora,

Junoni Cane Vota libans.

);();(2

Et

EPISTOLA AD

Et ex Loco Apulei, qui libro I. ejusmodi Gentilitias superstitiones persequens, inter alia sic habet: Jam Sospitatricis Deæ (Lunam intelligens) Peculiaris Pompa molebatur, &c. Et post aliqua: Magnus præterea Sexus utriusque numerus. Lucernis, Tedis, Cereis, & alio genere ficti Luminis, Syderum Cœlestium Stirpem propitiantes.

Quod item, Ethnicarum omnium prope modum Superstitionum, veluti jurati *Æmuli* & *Simeï* Papicolæ solent, cum in omnis generis adversitatibus ac morbis, confectis suis *Largitoribus*, *Opularibus*, & *Patronis*, singulis necessitatibus deputatis Sanctis, non tantum vora faciunt: sed cum optatis fruantur, iisdem, vel ex auro, & argento, ad ornata munera, tum etiam ex Cera aliave Materia, fictas imagines, vel corporis humani eas partes, quæ Morbo violentia severius urgebantur, publica solennitate Anathemata suspendunt.

Istæc ego, per D E I summè Misericordis Benignitatem, Sacrosancti ipsius verbi Luce rectius institutus, tanquam Idololatriæ toto pectore detestans, illi *Uni*, *Soli*, & vero D E O, qui vitam, & omnia mihi concedens, nuperrimè ex præsentissima morte ereptum me voluit, Gratias ago pro omnibus per JESUM CHRISTUM, Mediatorem & Salvatorem nostrum Unicum, toto pectore: Nomen ipsius collaudaturus, quam

quam diu fuero : & in mentis gratæ publicam reſtificationem , hæſce debita & immortalis laudis primitias offero conſecroque : olim in Beatorum , & omnium Angelicorum Spirituum ſacraſiſſimo Concilio , æternis exſolvendis Decimis , complendas. Eundem æternum Deum toto pectore obſecrans ; ut noſtra quæcunque ſtudia , & conatus omnes ad ipſius ſolius Nominis gloriam , clementer dirigere , & paternè dignetur ;

Quid verò huic Editioni acceſſerit : id cum prioribus , diligens ubique facta Collatio , veriſſimè docebit. Breviter autem , Pium , Candidum , & benevolum Lectorem , vel de præcipuis commonefaciendo , deprehendet , quibus præter Prolegomena de ſtudio Theologico utiliter & inchoando & continuando ; Omnes primi Libri locos , qui ſunt de D E O , de Creatione , de Providentia , de Scriptura ſacra , ad eum modum , qui compendiij limites excedere non debuit , locupletatos eſſe.

Cùm præterea , Locus de CHRISTO , qui omnis noſtræ Salutis , Fons & Author eſt , præ reliquis præſtans & ſacroſanctus ſit : plurimæ etiam Hæreſes , & olim & hodiè , tanquam ad Scopum contra CHRISTI Perſonam & Officium , ſingulari Cacodæmonum aſtu colliment ; Illum quoque plenius ; & dilucidius , contra omnis generis , rām veteres , quàm novos Hæreticos , quorum in numero , Jeſuitæ hodiè & Cal-

EPISTOLA AD

viniani, Principes numeri possunt, explicandum putavi Hunc enim Locum, de Christo, quisquis è Scriptura sacra, & quæ huic conformes sunt, publicis Ecclesiis Confessionibus, ritè, & fundamentaliter intellexerit; Is per D E I gratiam, ad reliqua Evangelicæ veritatis Mysteria, quarenus illa, in hac Annygmatica Coelestium Rerum Theoria, contemplari nobis concessum est, facilius deducetur.

Quia porrò, non tantum in Lege divina prohibitorum graduum, intra quos consistentes consanguineos vel affines, matrimonio jungi nephas est, Descriptiones habemus; verum, cùm ad functiones Ecclesiasticas pervenimus, non raro de ejusmodi Casibus, Quæstiones incidunt; in gratiam Juniorum, Istud quoque Caput, in loco de Conjugio, attingere volui: ut hinc initia capientes, successu temporis, feramur ad perfectiora.

Cùm præterea Titulus libelli, locorum Theologicorum, ex ipsis Scripturæ sacre Medullis Explicationem polliceatur: ab aliorum Auctorum Scriptis, quantacunque illi Authoritate & Excellentia polleant, merito fuisset abstinendum, ne Amphora instituta, Rora currente, Urceus exiret. Quia tamen quotidianis, Papicolarum, Jesuitarum, cùm primis, intempestivis & Stentoreis clamoribus ubique traducimur: Neminem unquam veterum fuisse Doctorum, qui in priscæ Ecclesiæ Calculo dignus, nobiscum in ijs articulis

LECTOREM.

articulus senferit, quos contra Romanam, De-
fectricem & Idololatricam Ecclesiam hodiè,
ex Scripturis sacris propugnamus, Opera præ-
cium me facturum esse arbitratus sum, si ijs
in locis, qui maximè (tùm contra Pontifi-
cios, tùm Calvinianos) controversi sunt,
quædam pauciora quidem, attamen illustrio-
ra ex Antiquitatis Consensu Testimonia, ex-
tremis quasi labiis degustanda proponerem
Junioribus; donec cum in sacris Literis ma-
sculè maturuerint, ipsi in Patrum Lectiones
possint exspatiari. Non eam quidem ob cau-
sam ut in Patrum, aut cujusvis humanæ Au-
thoritatis Libris Scriptisve, fundamenta no-
stræ Confessionis quæramus; quum Cives
Sanctorum & domestici DEI, super Funda-
mentum Apostolorum & Prophetarum su-
perædificati simus: & Professione Theolo-
gi, solius DEI sermonibus humanæ Autho-
ritati innitamur. Jucundum tamen est, An-
tiquitatis, in veritatis Professione, videre
consensum: & ad retundendum furiosos con-
tradicentium clamores plurimum accommo-
datum.

Denique nemo sibi persuadeat, velim; me hanc Locorum collectionem, ita perfe-
ctam esse somniare; ut multis aliis adhuc,
(non minùs etiam utilibus & præclaris re-
bus) non adaugeri & perfici posse, existi-
mem. Quin maximarum & summe utilium
rerum præcipuos duntaxat Titulos, ac Cel-
lulas exhibeo: quas alius quivis Theolo-
giæ Studiosus peculiari studio & diligentia,

);();(4 Scri-

EPISTOLA AD LECTOREM.

Scripturas sacras, & earundem optimos Interpretes, diurna nocturnaue assiduitate volvendo, locupletare: & si velit Locorum Communium dispositionem quandam, vel hinc mutari, vel quibus à Deo singuli donis exornati sunt, hac arrepta levi occasione, meliora & rectius disposita adornare atque ad ædificationem Ecclesiæ, nobiscum communicare piè ac diligenter elaborabit.

Breviter, si quid in his est, quod Sacrosanctæ Theologiæ Studium juvare, & ad spirante Spiritus sancti gratia, Judicium aliquod de Rebus Theologicis, confirmare poterit (qua utilitate Libellum hunc non prorsus cariturum spero) pro eo una mecum, Deo soli Authori gratias agas, obsecro; si quid autem, quod non minus necessarium videri possit, prætermissum; aut quod positum esse putaveris, illud vel meæ tenuitati (quam liberè profiteor) vel temporis angustia, quam diuturnior morbus, arctiorem reddidit, transcribas, etiam atque etiam obtestor, Vale in Christo Jesu, Candide Lector. Scripsi Tubingæ, Sexto Septembris: Anno post natum Salvatorem supra Millesimum Sexcentesimo Tertio.



Pro-